

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Franz Wolf Christian Dietrich Haltermann

**Collegii Theologici Disputatorii, Disputatio Decima Tertia, De Peccato Originali
Posterorum Adami**

Rostochii: Richelius, 1697

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740903888>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 20. März 1697

Wolf, Francisco / 6

(A)

I. N. J.
**COLLEGII THEOLOGICI
DISPUTATORII,
DISPUTATIO DECIMA TERTIA,
DE
PECCATO ORI-
GINALI POSTERORUM
ADAMI,**

Qvam,
adspirante DEI T. O. M. gratiâ, consensu
Pl. Rev. Facult. Theol.

292

PRÆSIDE
FRANCISCO WOLFIO,

TH. D. & P. P. Collegii Senatorii Seniore,
Pastore ad D. Mariæ, & R. Min. Rostoch.

Directore,

publico Eruditorum Examini
IN ACROATERIO THEOLOGORUM

subjecturus est

CHRISTIANUS DIETERICUS

Waltermann / Rostoch.

ROSTOCHII, Typis JACOBI RICHELII, Ampliss. Senat. Typogr,

Anno 1697. d. 20. Mart,

N

1697

§. 1.

Non vocamus h. l. peccatum Originis, peccatorum omnium absolute primum, lapsus nempe Diabolorum, cui mox originem suam & natales debebat lapsus Protoplastorum. Nec appellamus h. l. peccatum originis, ipsum in genere humano peccatorum omnium primum, h. e. ipsum lapsus Protoplastorum, quem alii differentiae gratia dicunt P. Originale *actiue tale*, & *originans*, quod dederit originem peccatis posterorum, ex quo per illud persona infecit ipsam naturam humanam: Sed demum absolute *P. O.* vocamus, quod alii vocant Originale *passiue tale*, & *originatum*, nempe primum illud posterorum Adami peccatum, quod non demum ipsis actu quodam suo vitiioso formaliter committunt, sed quod statim cum & in sua origine a parentibus suis in se propagatum, hereditatis cujusdam instar, accipiunt. Unde etiam illud B. Lutherus vocavit peccatum *hereditarium*. Vocatur *originis*, quia cum homine post lapsum carnaliter generato simul habet originem, & fons & origo est actualium inde prophanantium peccatorum. Per hoc peccatum natura humana in protoplastis vitiavit personas posterorum. Dicitur etiam solet peccatum *naturale*, non, quod sit ipsa hominis natura, nec, quod instar proprii ex ipsa hominis natura primitus a DEO creatâ profluxerit, sed quod cum ipsa statim natura posterorum Adae corruptâ incipiat, profundissime ei infixum hæreat, & cum natura corrupta in liberos per carnalem generationem propagetur.

§. 2. In Scriptura S. variis describitur nominibus, dum nunc appellatur peccatum *inhabitans* Rom. VII. 17. & V. 21. *malum adjacens* & *circumstantis*: nunc *Lex peccati in membris*

*membris existens Rom. VII. 23. nunc corpus peccati Rom. VI. 5. qvia totam substantiam hominis, adeoq; ejus etiam corpus & membra occupat, inqve iis, & per ea sese exserit. Nunc *vetus homo* Rom. VI. 6. Licet enim ipsa natura hominis condita ætate paulo fit inferior, tamen in posteris cum ipsa statim natura incipit, & hominem novum s. regenitum ætate superat, tandemq; in renovacione instar senis magis magisq; decrescit & viribus diminuitur. Nunc etiam vocatur *caro* Rom. III. 6. Gal. V. 17. &c.*

S. 3. Dari illud P. O. ex pluribus potest Scripturæ locis probari. Nunc probamus (1) ex Rom. V. 12. qvia *per unum hominem* (principaliter Adamum labentem) *peccatum* (tanquam malum culpæ) *in mundum* (i. e. omnes homines per propagationem naturalem nempe) *introiit*, *& per peccatum mors* (i. e. necessitas moriendi tanquam malum pœnæ) *& sic in omnes homines mors pervasit*, eo qvod omnes peccaverunt, (i. e. peccatum habent) adeoque non tam, qvod posteri Adami actualiter & voluntarie peccantis exemplum sint imitati, & eodem modo actualiter peccarint, ita enim infantes nondum peccarunt, qvantum mors regnarit etiam in illos, i. e. & illi morti facti sint obnoxii ob peccatum, qvod in ipsis pertransiit, *qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adami*, i. e. qui propria voluntate peccata actualia ut Adamus non commiserunt, nempe etiam, in infantes quoque mors introierit per P. O., per propagationem carnalem posteris congenitum & communicatum. Hinc etiam (2) Ephes. II. 3. *naturæ eramus filii iræ*, i. e. non tantum veræ, re vere, sed etiam per ipsam naturæ nostræ conditionem post lapsum, & a nativitate nostra, eramus digni ira, rei iræ; quomodo & filius mortis, dignus morte, reus mortis est, 1. Sam. XX. 21. sic Gal. IV. 8. *non Dii dicuntur natura*, non tantum re vera, sed etiam, qvod per naturam suam sunt

N 2

non

non Dii. Per vocem *eramus* non notatur tempore Apostoli jam desuisse illud peccatum , sed potius statum ante conversionem , in qvo imputabatur ad damnationem , desuisse post conversionem nostram , qvamvis nec insolens sit Græcis uti imperfecto pro præsenti. vid. Aphrodis. in I. Top. c. 1. & Ammon. in libr. de interp. c. 3.

§. 4. Minime vero consistit P. O. (1) in mero reatu aut culpa , ex aliena transgressione contracta. (2) nec in externo qvodam & nullius prope momenti nævo & maculâ adspersâ. Nec (3) in spoliatione aut ablatione alicujus doni externi , qvalis est spoliatio vestium , salva manente viatoris natura , aut ablato freni vel serti , per qvam natura sive eqvi sive virginis non vitiatur, aut depravatur. Nec (4) in impedimento qvodam externo , qvo vires naturales non tam corrumpantur & afferantur , qvam impedianter , qvomodo magnetis vires succo allii illito dicuntur impediri , non afferri. Nec (5) in mera negatione , qvasi P. O. prorsus sit nihil negativum ; Nec (6) in mera privatione doni cuiusdam supernaturalis , qvo ablato naturalia intrinsece manserint integra , uti volunt *Ponifex* , *Dreierus* , & alii. Nec (7) in mera privatione doni alicujus naturalis , justitiae nempe originalis. Nec (8) in mero positivo superaddito naturæ , nec (9) in essentiâ à seipsâ subsistente , a DEO malo creatâ , in naturam hominis infusâ , & cum eâ ita permixtâ & confusâ , qvomodo venenum vino affusum cum eo permiscetur. Nec (10) in ipsa hominis corrupti substantia , natura & essentia , ut nulla prorsus inter naturam corruptam & ipsum P. O. relinqvatur differentia.

§. 5. Sed consistit , si sine concretione cum suo subiecto (nempe homine , animâ & ejus facultatibus) ut hujus subiecti forma totalis per se & sic abstractive consideretur , par tim (1) in privatione *justitiae Originalis* , tanquam doni con naturalis ,

naturalis, qvæ, qvia constanter, per modum habitus, ad-
hæret, vocari solet, habitualis justitiae originalis privatio.
Hinc quatenus naturâ sumus filii iræ, dicimur mortui in
peccatis Ephes. II. 1. 5. Col. II. 13. sicut enim justitia origi-
nalis instar vitæ animabat hominem ad actus spirituali-
ter bonos exercendos, ita hujus vitæ privatio dicitur
mors, qva viribus ad ejusmodi actus producendos
privamur. Hinc Rom. III. a 10. ex Psal. XIV. *Non est*
Iesus, ne unus quidem. Partim (2) in positivâ propensi-
one totius naturæ ad prava, qvam vocamus cum ortho-
doxis formam contrariam justitiæ originali. Inde qvi
respectu prioris dicitur mortuus in peccato, dicitur
nunc ambulare in vanitate mentis Ephes. IV. 17. & Ephes. II.
ambulare in peccatis, juxta Spiritum agentem in filiis con-
tumacibus, v. 2. conversari in concupiscentiis carnis, facere
qve carni libebant v. 3. qvamvis enim vita justitiæ origi-
nalis fuerit ablata, facultates tamen animæ vitales re-
manserunt, qvæ imbutæ propensione in malum aliam
prorsus, à priori sanctâ diversam, vitæ rationem sequn-
tur: Utramque formam innuit A. C. art. 2. post lapsum *A-*
da omnes homines secundum naturam propagati nascentur
cum peccato, hoc est (1) sine metu DEI, sine fiducia erga DE-
um, & (2) cum concupiscentia: prioribus formam privati-
vam, posterioribus positivam significat. Hinc qvam
Rom. VII. 7. 8. concupiscentiam vocarat, vocat *inhabitans*
in se peccatum v. 17. 20. & *malum magnitudinem* v. 21. Hanc
propensionem in malum variis videoas nominibus insi-
gniri, nunc vocatur qualitas mala, nunc habitus malus,
nunc pronitas & impetus naturæ in malum, nunc dispo-
sitio mala & ad malum, nunc absolute concupiscentia,
& cum addito, concupiscentia mala. Atqve hæc est inti-
ma illa, pessima & profundissima naturæ nostræ, ma-
nente tamen ejus substantia, corruptio seu depravatio,
qvam vocamus P. O.

N 3

§. 6.

§. 6. Cujus ut fœditatem eo clarior & distinctius repræsentemus, supponimus h. l. justitiam originalem importasse (1) ex parte intellectus, lucem, DEum recte cognoscendi, colendi, & divinitus revelata credendi; (2) ex parte voluntatis, vires sufficientes DEO obtemperandi, sancte vivendi, & appetitum sensitivum dirigendi; (3) ex parte appetitus sensitivi, optimam & harmonicam affectuum intellectui & voluntati subordinationem, vi cuius nil contra rectum intellectus judicium, nil contra voluntatis sanctam inclinationem appetivisset.

§. 7. P. O. igitur, qvatenus (1) dicit privationem *justitiae originalis*, includit (2) ex parte intellectus, totalem privationem lucis illius spiritualis, & àdūrāpīar DEum recte cognoscendi, colendi, & revelatis credendi. Hinc 1 Cor. II. 14. dicitur, *animalem hominem, ea, quae sunt spiritus DEI, non capere posse, nec cognoscere, & eum esse mente obtenebratum propter ignorantiam, quae in ipso est*, Ephes. IV. 18. imo ad intendendam hanc miseriā ipsum vocat Scriptura ipsas tenebras Eph. V. 8. (3) ex parte voluntatis, carentiam omnimodam sanctitatis & virium diligendi DEum, obtemperandi ejus jussis, & dirigendi appetitum sensitivum, adeoque impotentiam volendi & perficiendi spiritualia. Hinc Phil. II. 13. dicitur *moriūs in delictis & ab alienatus à vita DEI*. Ephes. II. 5. (γ) ex parte appetitus sensitivi, privationem subordinationis & obseqvii intellectui & voluntati debiti. Hinc ad Rom. VII. 17. 18. in carne negatur *habitat bonum*, & qviritatur *Paulus, se non facere bonum quod velit*.

§. 8. Qvatenus vero peccatum originis (2) dicit positivam propensionem totius naturae in malum, eatenus includit (α) ex parte intellectus, pronitatem ad temeraria & falsa de spiritualibus judicia ferenda. Unde 1. Cor. II. 14. dicitur, *hominem ψυχὴν non accipere ea, quae sunt spiritus DEI, cum ipsis sine stultitia; & propensionem ad errores in discurrendo, in investigandis rerum, etiā naturalium, causis & affectionibus, in gubernan-*
da

dā vitā, & applicāndis principiis rationis ad conclusiones falsas. (β) Ex parte voluntatis, pronitatem & inclinationem in actiones peccaminosas. Hinc homo animalis dicitur *servus peccati* Rom. VI. 28. in cuius corpore peccatum regnat ad obedientiam illi per cupiditates suas, ibid. v. 12. 14. & ei tribuitur *πάγωσις* Ephes. IV. 18. (γ) Ex parte appetitus sensitivi, propensionem & impetum, vel non exspectato, vel etiam rationis judicio rejecto, prouendi in ea, quae sensibus grata, licet vel centies lege divina fuerint prohibita. Hinc Rom. VII. concupiscentia v. 8. & lex in membris dicitur *rebellare legi mentis, & captivum reddere Paulum legi peccati, que in membris est,* v. 23. Hæ propensiones omnium virium in malum, nomine *Concupiscentia male* comprehenduntur; quæ ad solum appetitum sensitivum non est restringenda. Ex quibus ad oculum patet, P. O. non esse meram privationem justitiae originalis, sed etiam positivum includere, adeoqvè esse privativo-positivum, & *ἀροφίας* esse non meram, sed tamen veram, cum *ἀντινομία* conjunctam.

§. 9. *Causa efficiens* P. O. remota, est *Diabolus* seductor & homicida, Joh. VIII. 44. cuius instrumentum erat *serpens* Gen. III. 1. *Propinqua*, omnium primo Protoplasti, nempe Eva seducta, & imprimis Adam, communis parens totius generis humani, Rom. V. 12. Et quidem mediante lapsu suo, quem alii causam proximam & adæqvatam, alii causalitatem, alii fontem & scaturiginem hujus mali primam vocant: Lapsu enim suo promeruerunt à justitia vindicativa DEI, nixa veritate interminationis divinæ, subtractionem influxū DEI ad conservandam in ipsis & propagandam in posteros justitiam originalem necessarii. Justitia igitur originali deperditā, & privati influxu illo propagativo justitiae originalis, posteris per generationem carnalem justitiam originalem non potuerunt communicare, sed hi nati sine justitia origin. & cum propensione omnium virium ad malum, uti in Protoplastis præcesserat dubitatio & incredulitas in intellectu, inclinatio inordinata ad Deiformitatem in voluntate, & tendentia in fructum sensibus gratum in appetitu sensitivo. Hinc porro parentes corrupti sunt *causa deficiens*, & porro horum generatio est causalitas, & scaturigo proxima peccati originalis respectu liberorum suorum secundum naturam progenitorum, conf. Joh. I. 13. Joh. III. 6. Job. XIV. 4. ubi sermo de immunditia morali, ob quam v. 3. homo calamitibus & judicio DEI subjicitur, quod sane de immundâ & Physicè vili materia non dicitur, alias & homo integer diceretur immundus.

§. 10. Eadem corruptio, quæ in posteris dicitur P. O. fuit quidem à lapsu in Protoplasticis, sed non ab eorum origine. Unde *subjectum quod peccati originis sunt posteri ipsorum omnes secundum naturam sive carnem*

Iem generationem ex ipsis propagati, Rom. V. 12. Joh. III. 5. Frustra igitur nonnulli excipiunt Jeremiam, alii Iohannem Baptistam, Bonaventuram alii, Franciscum alii, alii Mariam Christi matrem. Solus vero Jesus Christus, ut per carnalem generationem ex Viro & Feminâ non descendit ab Adamo, ita nec peccato originis est contaminatus, Luc. I. 37. Hebr. VII. 26. Subjectum quo, nempe mediante homini inest, primarium, est anima cum suis Facultatibus, quibus formaliter & immediate inhæret. Solet etiam dici *πνεύμα δεκτικόν* P. O. Subjectum verò quo secundarium est corpus ejusque membra, nequitiae originalis instrumenta. Rom. VII. 19. 1. Cor. VI. 15. 2. Petr. II. 14. Rom. III. a v. 13.

S. 11. Consequentia P. O. sunt varia, (1) defectus liberi arbitrii in spiritualibus, i. e. virium ex parte intellectus & voluntatis ad exercendos actus spiritualiter bonos requisitarum. (2) Infirmitas liberi arbitrii in naturalibus, qua intellectus in judicando sœpe fallitur, & appetitus ad amplectendum bonum ab intellectu cognitione sœpe torpet aut languet, aut in oppositum malum propendet, & non raro, frustra quamvis renitente rationis judicio, in motus pravos erumpit. (3) Primi & involuntarii concupiscentiae motus Matth. XV. 19. Marc. VII. 21. Rom. VI. a v. 5. (4) Reliqua peccata actualia, Jac. I. 15. Rom. VII. 17. & adulterii fons indicatur P. O. Ps. LI. 7. (5) privatio gratia & ira DEI Eph. II. 3. (6) Calamitates temporales variae, quæ Protoplastos affixerunt à lapsu, & in posteros derivatae sunt Gen. III. a. v. 16. (7) Dispositio ad morbos, quæ, subtracta immortalitate, & humorum *νεύραι* accuratâ amissâ, successit. (8) Morbi mortis prodromi, in mortis poena comprehensi, unde & mortis nomine veniunt, 2. Cor. I. 10. (9) Mors temporalis, Rom. V. 12. 14. Rom. VI. v. ult. (10) mors I. damnatio æterna Rom. V. 18, quam etiam ut causa sufficiens & adæquata actu attrahit, nisi per fidem in Christum remittatur.

S. 12. Et hinc patet, P. O. esse malum longe gravissimum, cum tanta mereatur, & intime & profundissime totam naturam humanam depravet, & universam pergraffietur. Deinde etiam est malum pertinacissimum & tenacissimum, cum per totam vitam penitus exūi nequeat, licet reatus ejus à peccatore in regeneratione, & dominium in renovatione possit tolli; Tandem à parentibus ad posteros est propagabile, juxta illud, Joh. III. 5. conf. Job. XIV. 4.

S. 13. Atq; in his Nostrates Theologiamicabiliter conspirant. Quando vero hæc terminis Philosophicis proponuntur, observare licet diversas terminorum applicationes & acceptiones, & inde natas loquendi formulas alias atque alias. De quibus hac vice plura addere ex certis rationibus supersedebimus.






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn740903888/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740903888/phys_0011)

DFG



dā vitā, & applicāndis principiis rationis ad conclusiones falsas. C parte voluntatis, prouitatem & inclinationem in actiones peccami Hinc homo animalis dicitur servus peccati Rom. VI. 28. in cuius c peccatum regnat ad obediendum illi per cupiditates suas, ibid. v. 12. 14 tribuitur πέπειρος Ephes. IV. 18. (y) Ex parte appetitus sensitivi, proprietatem & impetum, vel non exspectato, vel etiam rationis judicio rejecto ruendi in ea, qvæ sensibus grata, licet vel centies lege divina fuerintbita. Hinc Rom. VII. concupiscentia v. 8. & lex in membris dicitur re legi mentis, & captivum reddere Paulum legi peccati, que in memb v. 23. Hæ propensiones omnium virium in malum, nomine Concupiscentiae male comprehenduntur; qvæ ad solum appetitum sensitivum non restringenda. Ex qvib[us] ad oculum patet, P. O. non esse meram priorem iustitiae originalis, sed etiam positivum includere, adeoq[ue] esse positivo-positivum, & auctoriar[um] esse non meram, sed tamen veram, cum iustitia conjunctam.

S. 9. Causa efficiens P. O. remota, est Diabolus seductor micida, Joh. VIII. 44. cuius instrumentum erat serpens Gen. III. 1. pinguis, omnium primo Protoplasti, nempe Eva seducta, & im Adam, communis parens totius generis humani, Rom. V. 12. Eadem mediante lapsu suo, qvem alii causam proximam & adæqvatan causalitatem, alii fontem & scaturiginem hujus mali primam vocant. Lapsu enim suo promeruerunt à iustitia vindicativa DEI, nixa veritate terminationis divinae, subtractionem influxus DEI ad conservandum ipsius & propagandam in posteros iustitiam originalem necessarii. Igitur originali deperditæ, & privati influxu illo propagativo iustitiae originalis, posteris per generationem carnalem iustitiam originalem non rurunt communicare, sed hi nati sine iustitia origin. & cum propensiō omnium virium ad malum, uti in Protoplastis præcesserat dubitatio credulitas in intellectu, inclinatio inordinata ad Deiformitatem luntate, & tendentia in fructum sensibus gratum in appetitu sensitivo porro parentes corrupti sunt causa deficiens, & porro horum generalis causalitas, & scaturigo proxima peccati originalis respectu liberorum secundum naturam progenitorum, conf. Joh. I. 13. Joh. III. XIV. 4. ubi sermo de immunditia morali, ob qvam v. 3. homo calibus & judicio DEI subjicitur, qvod sane de immundâ & Physicè vesteriâ non dicitur, alias & homo integer diceretur immundus.

S. 10. Eadem corruptio, qvæ in posteris dicitur P. O. fuit à lapsu in Protoplastis, sed non ab eorum origine. Unde subjectus peccati originis sunt posteri ipsorum omnes secundum naturam sive